

**DE «PROMISSIONE ELECTORUM»
IN ORDINATIONE DIACONALI
IUXTA PONTIFICALE ROMANUM
ANNI 1990**

SUMMARIUM: I. 1. Dantur textus professionis propositi de suscipiendo munere, promissionis caelibatus, Liturgiam Horarum adimplendi et oboedientiae. 2. Deinde historia formationis «promissionis electorum» per gressus exponitur. II. 1. Sensus «promissionis electorum» explicatur in relatione ad effectus ordinatione diaconali productos. 2. Natura obligationis caelibatus in genere et sensus assumptionis caelibatus sacri etiam a religiosis tractantur. 3. Fundamentum oboedientiae clericorum Episcopo dioecesano datur et sensus et limites promissionis Episcopo dioecesano oboedientiae etiam a clericis religiosis faciendae exponuntur.

1. Historia «promissione electorum»

Per Decretum *Ritus ordinationis* diei 29 iunii 1989 Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum editionem alteram Pontificalis Romani *De ordinatione Episcopi, Presbyterorum et Diaconorum*, a Summo Pontifice IOANNE PAULO II approbatam, die 1 augusti 1990 promulgavit¹.

Investigatio mea est de parte ritus ordinationis diaconalis quae «*promissio electorum*» appellatur, in relatione ad cc. 273; 276 § 2,3^o; 277 § 1; 678-683; 1036 (cf. c. 1026) et 1037.

«Promissio electorum» quattuor elementis principalioribus componitur: 1) professione propositi de

¹ AAS 82 (1990) 826-827.

suscipiendo munere; 2) promissione caelibatus; 3) promissione Liturgiam Horarum adimplendi; 4) promissione oboedientiae.

I. PROFESSIO PROPOSITI DE SUSCIPIENDO MUNERE. Post homiliam Episcopus electos his verbis interrogat:

Filii carissimi, priusquam ad ordinem diaconii accedatis, vos oportet coram populo propositum de suscipiendo munere profiteri.

Vultis munus Ecclesiae per impositionem manuum mearum et donum Spiritus Sancti consecrari?

Vultis munus diaconii in adiutorium Ordinis sacerdotalis et in profectum populi christiani humili caritate explere?

Vultis mysterium fidei, ut ait Apostolus, in conscientia pura habere, et hanc fidem secundum Evangelium et traditionem Ecclesiae verbo et opere praedicare?

Electi respondent: *Volo.*

II. PROMISSIO CAELIBATUS. Electos non uxoratos etiam professos religiosos Episcopus interrogat:

Vos, qui parati estis ad caelibatum amplectendum: Vultis in signum animi vestri Christo Domino dediti, propter Regnum caelorum in Dei hominumque servitio hoc propositum perpetuo custodire?

Qui electi respondent: *Volo.*

III. PROMISSIO LITURGIAM HORARUM ADIMPLENDI. Interrogatio Episcopi:

(Vos omnes,) vultis spiritus orationis modo vestro vivendi proprium custodire et augere, et in hoc spiritu Liturgiam Horarum, iuxta condicionem vestram, una cum populo Dei atque pro eo, immo pro universo mundo fideliter adimplere?

Electi respondent: *Volo.*

IV. PROMISSIO OBOEDIENTIAE. Post interrogationem de conformatione vitae exemplo Christi, unusquisque electorum accedit ad Episcopum et, genuflexus, ponit manus suas iunctas inter manus Episcopi, nisi a Conferentia Episcoporum aliter statutum sit².

Episcopus interrogat electum, dicens, si eius est ordinarius:

Promittis mihi et successoribus meis reverentiam et oboedientiam?

Si Episcopus non est eius Ordinarius, dicit:

Promittis ordinario tuo reverentiam et oboedientiam?

Si vero electus est religiosus, Episcopus dicit:

Promittis Episcopo diocesano necnon legitimo Superiori tuo reverentiam et oboedientiam?

Electus respondit: *Promitto.*

In Rituali ordinationis diaconorum anni 1968³ interrogationes de adimptione Liturgiae Horarum deque caelibatus assumptione non inveniebantur, dum quoad promissionem oboedientiae, si Episcopus non erat electi Ordinarius, sine distinctione inter electos saeculares et religiosos, dicebat:

² Cf. *De ordinatione Episcopi, Presbyterorum et Diaconorum*, Praenotanda generalia, n. 11., Typ. Pol. Vat. 1990.

³ Cf. *De ordinatione Diaconi, Presbyteri et Episcopi*, Typ. Pol. Vat. 1968.

Promittis Ordinario tuo reverentiam et oboedientiam?

Relate ad editionem *Pontificalis Romani* anni 1968 in editionem 1990 tres novitates introducuntur: a) publica manifestatio propositi caelibatum perpetuo custodiendi, sive pro saecularibus sive pro religiosis; b) promissio Liturgiam Horarum persolvendi; b) publica promissio oboedientiae Episcopo dioecesano etiam a religiosis facienda⁴.

In *Pontificali Romano* quod usque ad annum 1968 viguit, priusque subdiaconi ordinabantur, nisi omnes essent religiosi, Episcopus admonebat:

Filii dilectissimi, ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promovendi, iterum atque iterum considerare debetis attente, quod onus hodie ultro appetitis. [...] quod si hunc Ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari, et castitatem illo adiuvante, servare oportebit, atque in Ecclesiae ministerio semper esse mancipatos. Proinde, dum tempus est, cogitate, et, si in sancto proposito perseverare placet, in nomine Domini, huc accedite⁵.

Uti patet admonitio de castitate pro saecularibus potissimum erat, quia si omnes ordinandi essent religiosi ea omittebatur.

Oboedientia non promittebatur in ordinatione

⁴ *Caeremoniale Episcoporum, De sacramento Ordinis* (typ. Pol. Vat. 1984) in nn. 502-505 statuebat insertionem in ritum ordinationis diaconalis omnium quae inveniuntur in ritu *De sacro caelibatu amplectendo* anni 1972 tum quoad publicam caelibatus assumptionem, tum quoad Liturgiae Horarum celebrationem.

⁵ Cf. *Pontificale Romanum Summorum Pontificum iussu editum a Benedicto XIV et Leone XIII recognitum et castigatum* (Editio Typica, F. Pustet), Ratisbonae/Neo Eboraci/Cincinnati 1888, 25-26.

diaconali, sed, post ordinationem sacerdotalem, triplex formula promissionis oboedientiae inveniebatur.

Episcopus, si presbyteri Ordinarius esset, rogabat:

Promittis mihi et successoribus meis reverentiam et oboedientiam?

Episcopus, si eius ordinarius non esset, presbyterum interrogabat:

Promittis Pontifici (vel Praelato) Ordinario tuo pro tempore existenti reverentiam et oboedientiam?

Tamen si de presbytero saeculari ageretur, hac formula uti poterat:

Promittis Pontifici Ordinario tuo reverentiam et oboedientiam?

Si, vero, de presbytero regulari:

Promittis Praelato Ordinario tuo reverentiam et oboedientiam?

Presbyter respondebat: *Promitto*⁶.

Die 27 decembris 1930 Congregatio de sacramentis per Instructionem *Quam ingens*, ad locorum Ordinarios, statuit ut candidatus ad subdiaconatum scribe-
ret sua manu declarationem, iuramento ab ipso firmandam, qua ipse fateretur se omnimoda libertate ad sacrum ordinem accedere, riteque perspecta habere

⁶ *Ibid.* 59-60.

omnia onera eidem adnexa⁷. Formula declarationis erat:

Fateor mihi plene esse cognita cuncta onera ceteraque ex eodem sacro ordine dimanantia, quae sponte suscipere volo ac propono, eaque toto meae vitae curriculo, Deo opitulante, diligentissime servare constituo.

Praecipue quae caelibatus lex importet clare me percipere ostendo, eamque libenter explere atque integre servare usque ad extremum, Deo adiutore, firmiter statuo.

*Denique sincera fide spondeo iugiter me fore, ad normam ss. canonum, obtemperaturum obsequentissime iis omnibus, quae mei praecipient Praepositi, et Ecclesiae disciplina exiget, [...]*⁸.

Hoc spectabat ad solum clerum saecularem, quia Instructio tantum locorum Ordinariis inscribebatur. Quare die 1 decembris 1931 Congregatio de religiosis per Instructionem *Quantum religiones*, ad supremos religionum et societatum clericalium Moderatores, in n. 17, statuit ut membrum instituti vel societatis, candidatum ad subdiaconatum, similem testificationem, iuramento firmatam, faceret. Tamen mutatio formulae invenitur relate ad secundam paragraphum:

Quae castitatis voto ac caelibatus lege praecipiuntur, clare me percipere testor, eaque integre servare usque ad extremum vitae, Deo adiuvante, firmiter statuo.

In n. 18 eiusdem Instructionis affirmabatur hanc testificationem in ordinibus votorum sollemni professioni sollemni praemitti debere⁹. Clare patet hanc testificationem ante ordinationem subdiaconalem repeti non debuisse.

⁷ Cf. AAS 23 (1931) 125.

⁸ Cf. *Ibid.* 127.

⁹ Cf. AAS 24 (1932) 80-81.

Declaratio de libertate, de castitate et caelibatu deque oboedientia ante ordinis subdiaconatus susceptionem, necessaria erat tempore quo in ritu ordinationis subdiaconi tantum admonitio Episcopi de libertate deque caelibatus assumptione habebatur, non vero expressa promissio caelibatus amplectendi et oboedientiae.

Ritus ordinationis subdiaconalis manebat usque ad annum 1972, quo ordo subdiaconalis abolebatur a PAULO VI¹⁰. *Pontificale Romanum* anni 1968 ritum ordinationis diaconalis, presbyteralis et episcopalis renovabat et in ritum ordinationis diaconalis iam introducebat interrogationes quibus candidatus publice manifestabat voluntatem suam Ecclesiae servitio sese dicandi et promittebat oboedientiam Episcopo suo vel Ordinario suo, si ordinans Ordinarius electi non esset.

Die 15 augusti 1972 PAULUS VI, M.p. *Ad pascendum*, die 31 augusti 1972 promulgato, quoad libertatem in suscipiendo ordine diaconali, statuebat:

Candidati ad diaconatum, ante ordinationem, Ordinarius (Episcopo et, in clericalibus institutis perfectionis, Superiori maiori) tradant declarationem propria manu exaratam et subscriptam, qua testificentur se sponte ac libere sacrum ordinem suscepturos esse. (V)

Quoad caelibatum:

Consecratio propria caelibatus, propter Regnum caelorum servati, huiusque obligatio pro candidatis ad sacerdotium et pro candidatis non uxoris ad diaconatum reapse conectuntur cum diaconatu. Publica ipsius sacri caelibatus assumptio coram Deo et Ecclesia etiam a religiosis celebran-

¹⁰ Cf. M.p. *Ministeria quaedam*, 15 ag. 1972, IV, in AAS 64 (1972) 532.

da est speciali ritu, qui ordinationem diaconalem praecedat. Caelibatus hoc modo assumptus impedimentum dirimens est ad nuptias ineundas. (VI)

Quoad Liturgiam Horarum

Ad normam nn. 29-30 Institutionis generalis de Liturgia Horarum:

a) Diaconi ad Presbyteratum vocati ex ipsa sacra ordinatione obstringuntur obligatione Liturgiam Horarum celebrandi;

b) maxime decet stabiles Diaconos aliquam saltem partem Liturgiae Horarum, ab Episcopali Conferentia definiendam, cotidie recitare. (VIII)¹¹

Ut habeantur maiores determinationes circa obligationem Liturgiam Horarum celebrandi, textus legis remittit ad Institutionem generalem *Publica et communis*, diei 2 febr. 1971, quae invenitur in primo volumine Liturgiae Horarum¹². Anno 1972 Congregatio pro cultu divino paravit ritum *De sacro caelibatu amplectendo*, qui a die 1 ianuarii 1973 vigit¹³. In n. 5 huius ritus statuebatur ut post tertiam interrogationem, quae in n. 15 *Pontificalis Romani* anni 1968 pro ordinatione diaconorum inveniebatur, nova interrogatio adderetur:

Vultis spiritum orationis modo vestro vivendi proprium custodire et augere, et in hoc spiritu Liturgiam Horarum, iuxta condicionem vestram, pro Ecclesia, immo pro universo mundo, fideliter implere?

¹¹ Cf. AAS 64 (1972) 539; 540.

¹² Cf. etiam *Enchiridiion Vaticanum* 4/133-424.

¹³ *De institutione Lectorum et Presbyteratum. De admissione inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum. De sacro caelibatu amplectendo*, Typ. Pol. Vat. 1972, 29-30.

Responsio electi: *Volo*¹⁴.

Ulterius sistere debemus in considerandis aliis duobus statuitionibus in M.p. *Ad pascendum* contentis, quae in Instructionibus *Quam ingens* anni 1930 et *Quantum religiosis* anni 1931 nituntur. Duo sequuntur: a) non tantum declaratio de libertate, quae aliquo modo iam continebatur in responsionibus electi interrogationibus Episcopi in *Pontificali Romano* anni 1968 contentis, sed b) etiam ritus specialis publicae caelibatus assumptionis ordinationem diaconalem praecedere debebant. Tum ex fontibus legis tum ex ipsis verbis «*qui ordinationem diaconalem praecedat*» videretur legislatorem non statuuisse ut hic «*ritus specialis*» in ritum ordinationis diaconalis inseretur.

Ritus *De sacro caelibatu amplectendo* anni 1972, iuxta nn. 2-4 ipsius ritus rubricarum ad nn. 9-14 *Pontificalis Romani* referentes, inserendus erat in Missam ordinationis diaconorum, post homiliam ab Episcopo habendam¹⁵, sed manebat distinctus a ritu ordinationis diaconorum qua tali¹⁶. Ritus ordinationis

¹⁴ Cf. notam n. 3.

¹⁵ *Commentarium de nova disciplina et ritibus circa ministeria*, GP subsignatum, referens ad M.p. *Ad pascendum*, dicit: «Professio castitatis cum diaconatu colligatur [...] Ergo, post homiliam ab Episcopo habenda (sic!) in Missa ordinationis diaconorum, inseritur peculiaris ritus pro iis qui sacrum caelibatus amplectendi sunt [...]» (cf. *Notitiae* 9, 1973, 32-33).

¹⁶ In n. 1 rubricarum, inveniebatur: «Publica caelibatus assumptio a candidatis ad Presbyteratum et a candidatis non uxoris ad Diaconatum, *etiam religiosis*, fieri debet priusquam ad ritum ordinationis Diaconorum procedatur».

P. Dezza in suo articulo *Riflessioni sulle recenti Lettere apostoliche «Ministeria quaedam» e «Ad pascendum»* affirmabat: «È da notare a questo proposito che la speciale consacrazione a Dio mediante il celibato, benché immediatamente preceda l'ordi-

diaconorum in lingua italica a Conferentia Episcoporum Italiae anno 1979 edita, etiam assumptionem publicam caelibatus comprehendebat iuxta ritum anni 1972. Hunc ritum, in Missam ordinationis diaconalis insertum, mihi videtur iam dici non posse, ut in M.p. *Ad pascendum* habetur, *ritum specialem* ordinationem diaconalem vere praecedentem.

Animadvertendum est iuxta M.p. *Ad pascendum* et n. 1 rubricarum ritus *De sacro caelibatu amplectendo* etiam religiosos ritu speciali caelibatum publice assumere debuisse.

Can. 1036 statuit:

Candidatus, ut ad ordinem diaconatus aut presbyteratus promoveri possit, Episcopo proprio aut superiori maiori competenti declarationem tradat propria manu exaratam et

nazione diaconale, deve rimanere da essa distinta, poiché l'ordinazione diaconale è in se stessa uguale per tutti i diaconi, celibi o coniugati, come uguale è il sacramento che loro viene conferito. Il nuovo rito «De sacro coelibatu amplectendo» mentre conserva quel silenzioso, ma significativo passo con cui il suddiacono, prima dell'ordinazione, si accostava all'altare, aggiunge l'espressa manifestazione della volontà di assumere quel sacro impegno riguardante il «caelibatum propter regnum caelorum in Dei hominumque servitio perpetuo custodiendum» (cf. *Monitor ecclesiasticus* 98, 1973, 87; cf. anche J. Manzanares, *Comentario al Motu Proprio «Ad pascendum»*, in *Rev. Esp. Der. Can.* 30, 1974, 84).

M. Lessi-Ariosto in suo commentario de altera editione typica *De ordinatione Episcopi, Presbyterorum et Diaconorum* anni 1990, dicit: «La pubblicazione del rito per la pubblica assunzione del celibato fece immediatamente pensare alla possibilità di includere detto rito nell'Ordinazione, e dal canto suo decretando l'aggiunta di una interrogazione relativa alla celebrazione della Liturgia delle ore esigeva che se ne tenesse conto nella celebrazione e nella eventualità di una ristampa (cf. *Notitiae* 26, 1990, 95-96).

subscriptam, qua testificetur se sponte ac libere sacrum ordinem suscepturum atque ministerio ecclesiastico perpetuo mancipaturum esse, insimul petens ut ad ordines recipiendum admittatur (sublineatio nostra).

Fontes canonis sunt c. 992 CIC 1917, Instructiones *Quam ingens* et *Quantum religionis*, necnon M.p. *Ad pascendum*, V.¹⁷

Can. 1037:

Promovendus ad diaconatum permanentem qui non sit uxoratus, itemque promovendus ad presbyteratum, ad ordinem diaconatus ne admittantur, nisi ritu praescripto publice coram Deo et Ecclesia obligationem caelibatus assumpserit, aut vota perpetua in instituto religioso emiseric (sublineatio nostra).

Fontes canonis sunt M.p. *Sacrum diaconatus ordinem*, 16¹⁸, M.p. *Ad pascendum*, VI, et Pontificale Romanum, *De sacro caelibatus amplexando* anni 1972. Fons principalior canonis videtur esse M.p. *Ad pascendum*, qui in duabus Instructionibus *Quam ingens* et *Quantum religionis* nititur. Animadvertendum est ut fontes non inveniri, idem ac in c. 1036, has Instructiones, quibus ante ordinationem imponebatur etiam declaratio iureiurando firmata de servandis caelibatu et castitate.

¹⁷ Cf. editionem Codicis Iuris Canonici fontium annotatione et indice analytico-alphabetico aucti, Libreria Editrice Vaticana 1989.

¹⁸ Cf. AAS 59 (1967) 701. In editione Codicis Iuris Canonici fontium annotatione et indice analytico-alphabetico aucti, Libreria Editrice Vaticana 1989, per errorem indicatur ut fons «DO 16» in loco «SDO 16»; in *Abbreviationes et sigla* «DO» dicit *Directorium oecumenicum*, quod in n. 16 ad nostram materiam minime pertinet.

Obici potest id quod statuitur in c. 1036 non esse necessarium, quia in Missa ordinationis diaconalis *Pontificalis Romani* anni 1968 iam inveniebantur declaratio publica de libertate in suscipiendo ordine diaconali et promissio de munere diaconali exercendo, quae nunc in *Pontificali Romano* anni 1990 habentur.

Obiectio legitima videtur, tamen dicendum est declarationem ad normam c. 1036 faciendam, propria manu exaratam et subscriptam esse documentum publicum, quod in archivio dioecesano vel instituti religiosi manet, distinctum ab adnotatione ac testimonio peractae ordinationis de quibus in cc. 1053-1054. Quia frequenter ad dispensationem ab obligatione caelibatus obtinendam defectus libertatis et responsabilitatis in suscipiendo ordine sacro adducitur, opportuna videtur statutio de qua in c. 1036.

Ex c. 1037 nonnullae quaestiones exurgunt. Canon videretur praescribere ritum praecedentem ordinationem diaconalem, extra Missam ordinationis, in quantum si candidatus obligationem caelibatus ritu praescripto non assumpserit, dicit canon: «*ad ordinem diaconatus ne admittatur*». Statutio canonis sensum non haberet si ritus caelibatus assumptionis esset in ipsa Missa ordinationis diaconalis, quia candidatus a superioribus iam ad ordinem diaconatus admissus esset. Hoc confirmari videretur ex eo quod etiam in c. 1036, in quo agitur de declaratione libertatis, quae certe est actus qui praecedit ordinationem diaconalem, similis formulatio habetur: «*Candidatus, ut ad ordinem diaconatus aut presbyteratus promoveri possit...*».

Nonnulli auctores canonem interpretantur eo sensu quod ritus, quo obligatio caelibatus publice assumitur, disiunctim ante ordinationem diaconalem

faciendus est¹⁹, dum alii affirmant eum in ritu ordinationis contineri²⁰. Consectaria primae interpretationis sunt quod c. 1037 non abrogabat legem liturgicam anni 1972, in *Pontificale Romanum* anni 1968 insertam et anno 1983 adhuc vigentem, iuxta quam etiam religiosi tenebantur ut in ritu ordinationis diaconalis caelibatum ecclesiasticum assumerent, quia ageretur de duobus diversis ritibus; consecrata alterius interpretationis sunt quod ad normam cc. 2 et 6 § 1, 2^o lex liturgica anni 1972 et lex universalis in n. VI M.p. *Ad pascendum* contenta abrogabantur, quia contrariae c. 1037²¹. Etsi formulatio c. 1037, meo iudicio, inducat in primam interpretationem, tamen promulgatio editionis alterius Pontificalis Romani *De ordinatione*

¹⁹ J.M. GONZÁLEZ DEL VALLE affirmat ritum esse declarativum tantum, ita ut si ritus non adimpleretur, obligatio caelibatum servandi ex susceptione ordinis diaconalis pariter surgeret, at e contra si, post ritum, diaconatus non susciperetur obligatio non surgeret (cf. *Del Orden*, in *Codigo de Derecho Canonico* [curantibus P. Lombardia - J.I. Arrieta], Pamplona 1983, 617); T. RINCÓN eandem sententiam tenet (cf. AA.VV., *Manual de Derecho Canonico*, Pamplona 1988, 516), dum L. CHIAPPETTA (cf. *Il Codice di Diritto canonico - Commento giuridico-pastorale*, II, Napoli 1988, 150); H. MÜLLER (cf. *Die Ordination*, in *Handbuch des katholischen Kirchenrechts* [curantibus J. Listl - H. Müller - H. Schmitz], Regensburg 1983, 725) et H. SCHWENDENWEIN (cf. *Die Rechte und Pflichten der Kleriker*, *Ibid.* 209) etsi rem eodem modo quam GONZÁLEZ DEL VALLE et RINCÓN non explicant, videretur affirmare ritum de quo in c. 1037 a ritu Missae ordinationis diaconalis distingui.

²⁰ Cf. E. GILBERT, *Orders*, in *The Code of Canon Law - A Text and Commentary* (curantibus J.A. Coriden - T.J. Green - D.E. Heintschel), London 1985, 728; J.S. HORTAL, *Codigo de Derecho Canónico*, São Paulo 1983.

²¹ Cf. F.J. EGAÑA, *Los religiosos y el nuevo rito de la ordenación de los diaconos*, in *Informationes SCRIS* 17 (1991) 111.

Episcopi, Presbyterorum et Diaconorum die 1 augusti 1990 habita, videtur dirimere quaestionem.

Decretum *Ritus Ordinationum* diei 29 iunii 1989 in n. 5 declarat:

Ritus de sacro caelibatu amplectendo, a Sacra Congregatione pro culto divino apparatus, ad normam Litterarum Apostolicarum Ad pascendum, quae Paulus PP. VI fel. rec. anno 1972 datae sunt, nunc inseritur in Ordinatione diaconorum. De speciali autem mandato Summi Pontificis Ioannis Pauli PP. II, disciplina mutata est ita ut etiam electi, qui in istituto religioso vota perpetua emiserunt, posthac teneantur in ipsa Ordinatione diaconorum, derogato praescripto canonis 1037 Codicis Iuris Canonici, sacrum caelibatum amplecti tamquam peculiare propositum Ordinationi de iure coniunctum.

Etsi Decretum rationem non habeat de eo quod ritus *De sacro caelibatu amplectendo* anni 1972 iam in ordinationem diaconorum inserebatur²², tamen clare patet iuxta Congregationem hunc ritum a ritu de quo in c. 1037 non distingui. Haec videtur esse etiam mens Legislatoris, quia ipse Summus Pontifex IOANNES PAULUS II mandavit ut praescriptum c. 1037 abrogaretur.

Quaeri potest utrum Instructiones *Quam ingens* et *Quantum religionis* adhuc in vigore manenant. In mentem revocare debemus Instructiones a competentibus Congregationibus datas esse quia illis temporibus neque ante ordinationem subdiaconi neque in ipsa ordinatione declaratio de libertate et promissio caelibatus habebantur. Quare, mihi videtur Instructiones abrogatae sunt, nisi iam ab anno 1972 M.p. *Ad pascendum* et ritu *De sacro caelibatu amplectendo*,

²² Cf. notam n. 15.

procul dubio ad normam c. 6 § 1,4^o, quia materia cc. 1036 et 1037 ex integro ordinatur, et iuxta editionem alteram *Pontificalis Romani* anni 1990²³.

2. Sensus «promissionis electorum»

I. CONSIDERATIONES CHARACTERIS GENERALIS

Imprimis sequentia in mentem revocanda sunt:

1. Per se Codex cavet per c. 1036 ut libertas in suscipiendo ordine sacro a c. 1026 requisita publice declaretur et per c. 1037 ut obligatio caelibus in c. 277 § 1 statuta pro omnibus clericis, sive saecularibus sive religiosis, publice assumatur.

2. Iuxta c. 277 § 1 etiam religiosi per susceptionem diaconatus tenentur obligatione caelibatus clericorum, quae omnino distinguenda est ab ea qua tenentur per votum castitatis perfectae in proprio Instituto.

3. A c. 276 § 2,3^o ordinationi diaconali et sacerdotali obligatio cotidie Liturgiam Horarum persolvendi adnectitur.

4. A c. 273 specialis obligatio Summo Pontifici et proprio Ordinario reverentiam et oboedientiam axhibendi, sive pro saecularibus sive pro religiosis, statuitur.

5. Obligatio oboedientiae qua religiosi erga superiores internos instituti tenentur in cc. 601, 618, 678 § 2 determinatur et ea erga Episcopos in cc. 678-683.

Quoad haec puncta Codex videtur sufficere. Cur omnia in ritum ordinationis introducuntur? Quid obli-

²³ F.J. EGAÑA affirmat candidatos ad diaconatum adhuc teneri obligatione iurisiurandi de caelibatu amplectendo a duobus Instructionis statuta (cf. *art. cit.* 113-114).

gationibus iam a Codice statutis «promissio electorum» adiungit?

Concors sum cum explicatione a F.J. EGAÑA in suo articulo iam citato data²⁴. F.J. EGAÑA explicat rationem introductionis in ritum ordinationis diaconalis promissionum caelibatus et oboedientiae Episcopo dioecetano etiam a religiosi; quae ratio, meo iudicio, extendi potest etiam aliis elementis quibus «promissio electorum» componitur.

Per receptum diaconatum aliquis fit clericus, dicit c. 266 § 1, quare intrat in statum clericalem. Status in Ecclesia est condicio stabilis in qua persona physica in Ecclesia per aliquem ritum publicum statuatur cum complexu determinato iurium et obligationum.

Status in Ecclesia non est aliquid tantum iuridicum. Aliquis in peculiari statu iuridico invenitur quia ad eum a Deo vocatur et a Spiritu Sancto charisma recipit. Alia officia et iura ab ipso charismate fluunt alia a iure positivo Ecclesiae statuuntur²⁵.

Aliquis invenitur in statu clericali quia a Deo vocatur et a Spiritu Sancto charisma paternitatis spiritualis communitatis recipit. Ecclesia, mediatrix gratiae et actionis Dei, per ritum ordinationis statutum, ministerium sacrum confert et in statu clericali aliquem ponit. Ex hoc fluunt officia et iura secundum ordinem receptum ab Ecclesia agnita et statuta²⁶.

Iuxta Concilium Vaticanum II ritus liturgici clare manifestare debent realitatem ad quam referunt ita ut valorem etiam didacticum pro populo Dei habeant

²⁴ Cf. *Ibid.* 116-123.

²⁵ Cf. meum librum *Il diritto nella Chiesa mistero di comunione - Compendio di diritto ecclesiale*, Cinisello Balsamo/Roma 1990, 51-58.

²⁶ Cf. Egaña, *art. cit.*, 122-123.

(SC 21b; 33a; 34). Quam ob rem in ritu ordinationis diaconalis, quo fidelis, etiam religiosus, recipit ministerium sacrum et intrat in statum clericalem, apparere debent officia quae ministerio sacro adnectuntur et ab ordinato libere assumuntur.

Sub hac perspectiva clare patet editionem alteram *De ordinatione Episcopi, Presbyterorum et Diaconorum* anni 1990 esse meliorem actuationem Concilii Vaticani II quam editionem anni 1968.

II. NATURA OBLIGATIONIS CAELIBATUS

Obligatio caelibatus clericorum, exceptis diaconis permanentibus uxoratis ante ordinationem (cc. 1037; 1042,1°), in c. 277 § 1 statuitur.

Formulatio c. 277 § 1 valde differt ab ea c. 132 § 1 CIC 1917. In c. 277 § 1 caelibatus ecclesiasticus theologice fundatur et non amplius affirmatur contra obligationem caelibatus peccantes sacrilegii quoque reos considerandos esse²⁷.

Ante et post CIC 1917 auctores disputabant utrum obligatio castitatis in caelibatu ex sola lege ecclesiastica an ex voto in ordinatione subdiaconali saltem tacite emisso oriatur. Post Codicem hanc alteram sententiam maior numerus auctorum tenebant. Can. 132 § 1 CIC 1917 illi favere videbatur, cum asseret omnia peccata, sine distinctione inter externa

²⁷ Petitioni unius Patris ut in c. 250 § 1 schematis 1980, qui respondet c. 277 § 1 CIC 1983, diceretur quod violatio perfectae continentiae secumfert peccatum sacrilegii, Relator in Plenaria 1981 respondebat canonem manere uti iacebat, quia, res, etsi vera, non pertinet ad ius canonicum, sed ad theologiam moralem (cf. *Communicationes* 14, 1982, 170).

et interna, contra castitatem a clerico maiore commissa sacrilegio infici²⁸.

Vaticanum II numquam sermonem facit de voto caelibatus clericorum, sed de lege caelibatus (OT 10a; PO 16c) et videretur suam non facere sententiam quae sustinebat votum saltem implicitum ex parte clericorum maiorum²⁹. Tamen dicendum est, etsi non sustineat obligationem per votum susceptam, Concilium affirmare clericos per virginitatem vel caelibatum propter Regnum caelorum nova et eximia ratione

²⁸ Cf. A. VERMEERSCH - I. CREUSEN, *Epitome Iuris Canonici cum commentariis*, t. I, Mechliniae/Romae 1963⁸, 254; W. BERTRAMS, *Adnotatio brevis quoad illa quae Concilium Vaticanum II de caelibatu sacerdotis enuntiat*, in *Periodica* 55 (1966) 596.

²⁹ In *Modo* 43 ad n. 16 schematis *De presbyterorum ministerio et vita*, ab uno Patre petebatur ut adderetur: «*Ad fovendam erga virginitatem sive clericorum sive sacerdotum plenam animi dispositionem, Sacra Synodus sollemniter declarat caelibatus legem in Ecclesia latina admittere tacitum perfectae atque perpetuae castitatis votum*» In *Modo* adiungebatur: «Huic modo accedit nota nostrae Commissionis transmissa a Secretaria Status, quae sic sonat: «Appare opportuno proporre che, per dare al celibato del Clero il carattere e il valore di un atto pienamente libero compiuto in vista della ordinazione sacerdotale, si introduca la emissione di un voto esplicito che potrebbe essere temporaneo per il Suddiaconato, e perpetuo per il Diaconato (o il Presbiterato). Si potrebbe pure proporre che ogni sacerdote rinnovi tale voto ogni anno il giorno del Giovedì Santo, prima di celebrare o di partecipare alla Santa Messa che commemora la istituzione del Sacerdozio e dell'Eucaristia». Relator respondebat: «Cum talis additio revera aliquid substantiale addat textui iam a Concilio approbato, non videtur nostram Commissionem hoc proponere valere» (cf. *Acta Synodalia Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II*, IV/VII, Typ. Pol. Vat. 1978, 217).

Ex eo quod Commissio putabat additionem de voto caelibatus aliquid substantiale addere textui iam approbato, deducere possumus cum ageretur de caelibatu clericorum non comprehendere votum ne tacitum quidem.

Christo consecrari, ei facilius indiviso corde adhaerere, liberius servitio Dei et hominum sese dedicare (PO 16b). Etiam documenta recentiorum Pontificum, necnon aliorum organorum supremi gubernii Ecclesiae, tractant de lege caelibatus, at non de voto tamquam fonte obligationis clericorum; tamen animus quo caelibatus assumitur a clerico libera voluntas Deo oblationis esse debet³⁰. Caelibatus sacer est peculiare donum Dei (c. 277 § 1), id est charisma³¹, quo quis movetur ad eligendum caelibatum, uti conditionem vitae Deo sacratae. Est donum amoris Dei cui amore electus respondere debet ut Christo virgini assimiletur³². Caelibatus sacer, igitur, considerari non potest, — affirmat IOANNES PAULUS II — quoddam simplex institutum lege iniunctum illis qui sacramento Ordinis suscipiant, quia quilibet christifidelis qui sacramentum ordinis recipit obligatione caelibatus sese obstringit plena quidem cum conscientia ac libertate. Candidatus ad ordinem sacrum init consilium vitae in caelibatu ducendae, cum firmiter sibi persuasit Christus sibi donum illud concedere; illo dumtaxat tempore se obligat ut per omnem reliquam vitam caelibatum

³⁰ Cf. PAULUS VI, M.p. *Sacrum diaconatus ordinem*, 18 iunii 1967, II.4, in AAS 59 (1967) 699; Lit. enc. *Sacerdotalis caelibatus*, 24 iunii 1967, nn. 7, 14, 17, 36, 37, 42, *Ibid.* 660; 662; 663-664; 671-672; 674; Ep. ad Card. VILLOT, 2 febr. 1970, in AAS 62 (1970) 98-99; Secretaria Status, Lit. circ. *L'année qui vien*, 2 febr. 1969, Praesidentibus Conferentiarum Episcoporum, in *Enchiridion Vaticanum* 3/794; Synodus Episcoporum, Doc. *Ultimis temporibus*, 30 nov. 1971, II.1.4c, in AAS 63 (1971) 916-917; IOANNES PAULUS II, Litt. *Novo incipiente*, 8 apr. 1979, n. 9, in AAS 71 (1979) 409-410.

³¹ Cf. I. PAULUS II, *Ibid.*, n. 8, 407-408.

³² Cf. PAULUS VI, Lit. enc. *Sacerdotalis caelibatus*, n. 24, in AAS 59 (1967) 666-667.

servet: «*Perspicuum hinc est consilium sic captum iam obligare non tantum ob aliquam legem ab Ecclesia latam, sed etiam ex ipsa conscientia officiorum nominatim ab homine susceptorum*»³³.

Ex doctrina conciliari et postconciliari clare patet:

a) obligationem caelibatum servandi non surgere ex voto;

b) surgere non tantum ex lege in c. 277 § 1 contenta;

c) sed praesertim ex dono Spiritus Sancti (charismate caelibatus) et libera ei responsione, in amore;

d) hac de re obligationem non esse iuridicam tantum, sed imprimis moralem, quae ad ordinem theologalem spectat, quia fluit ex peculiari relatione statuta inter hominem ad caelibatum a Deo vocatum et ipsum Deum, cum ad ministerium diaconale permanens in caelibatu vel ad sacerdotium ministeriale in Ecclesia catholica latina eum vocet.

Ut sua responsio Deo in amore facta firmetur ac corroboretur, modo formali et publico clericus in ritu ordinationis diaconalis manifestat propositum, in signum animi sui Christo Domino dediti, propter Regnum caelorum in Dei hominumque servitium perpetuo caelibatum servandi. Haec manifestatio propositi caelibatum servandi naturam voti non habet sed promissionis. Peccata, tamen, in materia gravi contra castitatem in caelibatu servandam, etsi quidam de hac re dubitent, dicendum est secum ferre peccatum sacrilegii ex ipsa consecratione Deo facta per assumptionem caelibatus, tamquam liberam responsionem personalem vocationi Dei³⁴.

³³ Cf. Lit. *Novo incipiente*, n. 9, in AAS 71 (1979) 409.

³⁴ Hoc modo intelligi potest id quod de peccato sacrilegii in

Legitime quaeri potest cur etiam religiosi votorum perpetuorum iuxta *Pontificale Romanum* anni 1990 in ordinatione diaconali manifestatione propositi caelibatus servandi teneantur. Quoad contentum obligationis personalis, manifestatio propositi in ritu ordinationis facta nihil adiungit professioni castitatis religiosorum.

Post promulgationem M.p. *Ad pascendum*, ubi statuebatur ut publicam sacri caelibatus assumptionem etiam religiosi celebrarent, Consilium Unionis Superiorum Generalium litteras dabat cardinali Secretario Status, quibus circa rem perplexitatem quandam pandebant³⁵, quia norma in umbram ponere videbatur valorem et pondus voti perpetuae et perfectae castitatis a candidatis religiosis emissi³⁶. Card. Secretarius Status die 7 febr. 1973 respondebat normam minime intendere obscurare vel parvipendere momentum et valorem voti castitatis a religiosis emissi, quod obligationem caelibatus continet. Attamen, affirmabat Card. Secretarius Status, in lucem ponitur nova obligatio quam etiam religiosi per ordinationem assumunt, prorsus distincta ab ea qua per votum castitatis ligantur. Quare, si sacerdos religiosus institutum suum derelinquerit et a votis dispensatus fuerit, onere sacri caelibatus teneri pergeret³⁷. Per se diaco-

c. 132 § 1 CIC 1917 statuebatur et responsio a Relatore in Plenaria 1981 lata (cf. notam 27).

³⁵ Cf. *Litt. Circulares*, n. 62/72. Romae 28 decembris 1972, 3-4, ut citatur a C. GORRICHIO, *Adnotationes*, in *Commentarium pro Religionis* 54 (1973) 80, nota 5.

³⁶ Cf. C. GORRICHIO, *art. cit.* 79-80.

³⁷ «La norma n. VI del Motu proprio «Ad pascendum» estendendo anche ai religiosi il rito per l'assunzione del celibato nell'ordinazione diaconale, non intende affatto attenuare ed oscurare il valore del voto di castità, da essi emesso, che di per sé

nus vel sacerdos religiosus, qui dispensationem a votis obtinet, obligatione caelibatus ex lege tenetur, tamen promissio publica in ritu liturgico peracta obligationem ex lege roborat et voluntatem eam observandi firmat.

In schemate anni 1980 Codicis recognoscendi,

comporta già l'obbligo del celibato «propter Regnum caelorum». Con tale disposizione si è voluto sottolineare il *nuovo* impegno al celibato che anche il candidato religioso assume con l'ordinazione; impegno distinto e aggiunto a quello da lui contratto col voto di castità, per cui il sacerdote religioso, che uscendo dal proprio Istituto, ottenga la dispensa dai voti, conserva l'onere del celibato in forza dell'Ordine sacro a lui conferito. In un momento, in cui si chiede e si ottiene con facilità la dispensa dai voti, e tanto si discute sul celibato sacerdotale, è sembrata opportuna ed utile anche per i religiosi questa pubblica e solenne riaffermazione dell'impegno al celibato prima dell'ordinazione, e perciò è stata scelta una formula che si adatta prettamente anche a coloro che abbiano già pronunciato il voto di castità. UNIO SUPERIORUM GENERALIUM, *Litt. Circulares* n. 8/73, Romae, 7 februarii 1973 (sublineatio nostra; cf. *Ibid.* 80, notam 6).

P. Dezza anno 1973 scribebat: «Qualcuno si è meravigliato che i religiosi, mentre non sono tenuti al rito dell'ammissione tra i candidati al diaconato e presbiterato (*Ad pascendum*, n. I, a), devono invece compiere il rito riguardante l'impegno del celibato (*Ibid.*, n. IV). La ragione è che l'esenzione dal rito di ammissione tra i candidati al Diaconato e al Presbiterato è riservata ai «Professi in religionibus clericalibus ad Presbyteratum contendentes» (l.c.) perché già hanno manifestato, con la loro professione religiosa in un istituto clericale, la loro volontà di accedere al sacerdozio e sono già stati con la professione stessa accolti fra i candidati al presbiterato. Per l'altro rito invece «De sacro caelibatu amplectendo», è vero che i religiosi nella professione hanno emesso il voto di castità, ma l'impegno del celibato sacerdotale è un nuovo impegno che si aggiunge al precedente e permane anche nel caso di scioglimento dei voti religiosi; inoltre nella situazione presente di agitata controversia intorno al celibato sacerdotale, è assai utile la rinnovazione, se non l'assunzione, pubblica di un impegno così grave e solenne» (cf. *art. cit.*, 87).

iuxta c. 990, obligatione publicae assumptionis caelibatus ritu praescripto etiam religiosi tenebantur; Commissio recepit emendationem ab uno Patre proposita non imponendi publicam assumptionem sodalibus instituti vel societatis, quia iam illam obtestationem etiam coram Ecclesia susceperunt³⁸, et c. 1037 religiosos professos perpetuos a ritu liberabat.

Ut supra iam vidimus, ipse Summus Pontifex IOANNES PAULUS II disciplinam mutavit ita ut post promulgationem novae editionis *De ordinatione Diaconi, Presbyteri et Episcopi* anni 1990 etiam religiosi professi perpetui teneantur in ipsa ordinatione diaconali sacrum caelibatum amplecti tamquam peculiare propositum ordinationi de iure coniunctum.

In explicatione quae sub titulo *Ordini sacri e Sinodo 1990* invenitur in Commentariis *Notitiae* editis cura Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum datur ratio mutationis disciplinae: per promissionem caelibatus etiam a religiosis votis perpetuis, vel aliis qui ligaminibus iuridice similibus astringuntur, fidelibus melius apparet caelibatum ecclesiasticum non esse tantum aliquid personale ad spiritualem relationem inter christianum et Deum spectans, sed, quoad ministros sacros, praeter signum escatologicum, esse etiam signum ecclesiologicum, quia presbyter sese obligat amoris et deditioni totali suae personae erga Ecclesiam, cuius minister et pastor est, in communione et imitatione Christi amoris sponsalis³⁹.

³⁸ Cf. *Communicationes* 13 (1983) 219.

³⁹ «Per esplicita volontà del Santo Padre, il legame tra il celibato e la sacra ordinazione presbiterale, appare più chiaro nell'ordinazione dei diaconi che sono candidati al presbiterato. Dovendo fare la promessa di celibato anche quelli che abbiano già

Meo iudicio peropportunum est etiam religiosos votorum perpetuorum obligari promissioni caelibatus ecclesiastici in ordinatione diaconali, propter rationes iam supra consideratas:

a) in ritu ordinationis diaconalis, quo religiosus recipit ministerium sacrum et intrat in statum clericalem, apparere debent officia quae ministerio sacro adnectuntur et ab eo libere assumuntur;

b) novam obligationem etiam religiosi per ordinationem assumunt, prorsus distinctam ab ea qua per votum castitatis ligantur, ita ut si diaconus vel sacerdos religiosus institutum suum derelinquerit et a votis dispensatus fuerit, onere sacri caelibatus teneri pergeret.

Attamen, accipi non posse videntur rationes explanationis quae in Commentariis *Notitiae* invenitur, quia monstrant insufficientem, si non erratam, comprehensionem realitatis professionis religiosae in Ecclesia, eam obscurando vel parvipendendo. Uti iam vidimus, post promulgationem M.p. *Ad pascendum*, ubi statuebatur ut publicam sacri caelibatus assum-

emesso i voti religiosi, o impegni giuridicamente simili, è reso più evidente davanti ai fedeli riuniti che il celibato ecclesiastico non è soltanto una questione personale di spirituale rapporto tra il cristiano e Dio, ma che, nel caso dei ministri sacri, oltre ad essere un segno escatologico è anche un segno ecclesiologico: il presbitero si impegna ad un'amore e dedizione totale di tutta la persona verso la Chiesa, di cui è ministro e pastore, in comunione ed imitazione dell'amore sponsale di Cristo» (cf. *Notitiae* 26, 1990, 66).

Animadvertendum est in hoc textu diaconos candidatos ad sacerdotium tantum considerari, nulla ratione habita de diaconis permanentibus non uxoratis, et sacram ordinationem sacerdotalem, dum agendum est de ordinatione diaconali candidatorum non uxoratorum in genere.

ptionem etiam religiosi celebrarent, Consilium Unionis Superiorum Generalium litteras dabat Cardinali Secretario Status, quibus circa rem perplexitatem quamdam pandebat, quia norma in umbra ponere videbatur valorem et pondus voti perpetuae et perfectae castitatis a candidatis religiosis emissi⁴⁰. Iisdem perplexitatibus movemur propter rationes latas in Commentariis *Notitiae*.

Professio religiosa neque tantum ut aliquid personale ad relationem spiritualem inter christianum et Deum spectans, neque ut signum escatologicum a dimensione ecclesiologica avulsum considerari potest. Professio religiosa est actus publicus in Ecclesia positus, nomine Ecclesiae a legitimo superiore acceptus (c. 1192 § 1), quo fidelis Deo per ministerium Ecclesiae consecratur (c. 654) et intrat in statum vitae consecratae, qui ad vitam et sanctitatem Ecclesiae pertinet (LG 39b; 44d; 45c; 47; c. 574 § 1). Religiosi, tamquam omnes consecrati per professionem consiliorum evangelicorum, in Dei honorem atque Ecclesiae aedificationem mundique salutem novo et peculiari titulo sese dedicant (LG 44b; c. 573 § 1), ita ut Ecclesiae mysterium speciali modo coniungantur (c. 573 § 2) ut, secundum finem et spiritum instituti, eiusdem missioni salvificae prosint (LG 43b; c. 575). Ex hoc patet professionem religiosam esse signum escatologicum praeclarum in Ecclesia (c. 573 § 1), quia ex profunditate vitae christianae et ex ipso corde Ecclesiae surgit (LG 39). Consilia evangelica, in Christi doctrina et exemplis fundata, donum sunt divinum, quod Ecclesia a Domino accepit et conservat (LG 43a; PC 1a; c. 575): vita consecrata per

⁴⁰ Cf. notam n. 35.

professionem consiliorum evangelicorum ad Ecclesiae structuram fundamentalem iure divino pertinent. Quamobrem competentis Ecclesiae auctoritatis est consilia evangelica interpretari, eorumdem praxim legibus moderari atque stabiles inde vivendi formas canonica approbatione constituere (LG 45a; c. 576).

Ex his paucis elementis doctrinalibus in Concilio Vaticano II et in CIC 1983 contentis rationes quae in Commentariis *Notitiae* dantur sine fundamento videntur.

III. NATURA OBLIGATIONIS OBOEDIENTIAE

Iuxta editionem alteram *De ordinatione Diaconi, Presbyteri et Episcopi* anni 1990, uti supra diximus religiosi omnis speciei institutorum tenentur ut in ordinatione diaconali Episcopo dioecesano, praeter legitimo Superiori, reverentiam et oboedientiam promittant.

Imprimis animadvertendum est in Decreto *Ritus ordinationis*, ubi dicitur: «*Item sodales Institutorum vitae consecratae in Ordinatione ad diaconatum et presbyteratum posthac interrogandi erunt etiam de reverentia et oboedientia erga Episcopum dioecesanum ad unitatem fovendam omnium clericorum in unaquaque Ecclesia*» (n. 6)⁴¹, agi de sodalibus institutorum vitae consecratae in genere, id est etiam institutorum saecularium, dum ritus ordinationis diaconalis distinguit inter electos quorum Ordinarius est ipse Episcopus ordinans et electos religiosos. Attamen, sodales clerici instituti saecularis clericalis dioecesi incardinati ab Episcopo dioecesano, qui est eorum Ordinarius,

⁴¹ Cf. AAS 82 (1990) 827.

pendent (c. 715 § 1): prima formula, igitur, promissionis oboedientiae utuntur; qui vero ad normam c. 266 § 3 instituto incardinantur, si ad opera instituti propria vel ad regimen instituti destinantur, ad instar religiosorum ab Episcopo dependent: tertia, ideo, formula uti deberent⁴².

Neque in Decreto neque in ritu, aliquid dicitur de membris societatum vitae apostolicae, qui in genere subsunt quoque Episcopo dioecesano in iis quae cultum publicum, curam animarum aliaque apostolatus opera respiciunt, attentis cc. 679-683 (c. 738 § 2). Pro regula clerici societati incardinantur. Quia hoc in casu regimen est idem ac religiosorum, etiam sodales harum societatum in ordinatione diaconali tertia formula promissionis oboedientiae uti deberent; si, vero, clericus dioecesi incardinetur, prima formula.

Quoad membra praelaturae personalis quaestio ponitur. Praelatus est eorum Ordinarius (c. 295 § 1) et non necessarie est Episcopus: actualis praelatus Episcopus titulo Ecclesiae Vitensis consecratus est, non vero ratione seu titulo praelaturae⁴³. Praelatus, etiamsi caractere episcopali insignitus, Episcopo dioecesano in iure non aequiparatur⁴⁴. Legitime, igitur, quaeri potest utrum membra praelaturae personalis, etsi a proprio Praelato ordinentur, praeterquam legitimo Superiori, qui est Praelatus, etiam Episcopo dioecesano oboedientiam promittere debeant. Responsio videtur danda affirmativa, nisi privilegium

⁴² Cf. p. 213.

⁴³ Cf. AAS 83 (1991) 108.

⁴⁴ Episcopo dioecesano in iure aequiparantur tantum qui praesunt communitatibus fidelium de quibus in c. 368 (c. 381 § 2) et ordinarius militaris seu castrensis (cf. Const. ap. *Spirituali militum curae*, 21 apr. 1986, II, § 1, in AAS 78, 1986, 483).

habeatur, quia valores, qui protegendi sunt (de quibus infra tractabimus) etiam pro actione ministeriali membrorum praelaturae in aliqua dioecesi valent. Tamen oboedientia Episcopo dioecesano praestanda est iuxta rationes in statutis praelaturae definitas et condiciones ab Episcopo forte positas, cum consensit ut praelatura opera sua pastoralia vel missionalia in dioecesi exercent (c. 297).

His positis, in promissione oboedientiae religiosorum sistere volumus. Quae de religiosis affirmo, aptatis aptandis (agitur de differentibus vocationibus et formis vitae), valent etiam pro clericis incardinatis vel instituto saeculari vel societati vitae apostolicae et, saltem quoad principia, pro incardinatis praelaturae personali.

In explicatione quae sub titulo *Ordini sacri e Sinodo 1990* invenitur in Commentariis *Notitiae* dantur rationes mutationis disciplinae:

a) melius apparet vocationem ad ministerium sacrum a vocatione religiosa differre, quia prima essentialiter vocationi ab Episcopo ligatur, quam nullus fidelis ut verum ius vindicare potest;

b) cooperatio cum ordine Episcoporum statuitur a sacerdotibus tum dioecesanis tum religiosis, in vera oboedientia pastoralis ei qui in Ecclesia particulari est signum apostolicum unitatis⁴⁵.

⁴⁵ «La II edizione tipica mette più in luce, in diversi modi, la condizione del presbitero come cooperatore nel ministero episcopale. Così si evidenzia, con maggiore intensità, come la vocazione al ministero sacro si diversifica dalla vocazione religiosa. La prima è infatti in quanto tale essenzialmente legata alla chiamata del Vescovo, alla quale nessun fedele può avere mai vero e proprio diritto. Per altro tuttavia, la cooperazione con l'ordine episcopale esiste in ogni caso, sia che si tratti di sacerdoti diocesani che

Quoad primam rationem dicendum est neque vocationem religiosam neque vocationem ad ministerium sacrum in abstracto considerandas esse, quia in abstracto neque vocatio religiosa neque ministerium sacrum existunt. In istituto religioso clericali ministerium sacrum est contentum essenziale charismatis instituti. Ministerium sacrum modo abstracto in Codice configuratur, sed in concreto exercetur in Ecclesia sive iuxta charisma vitae saecularis, dioecesanae vel non, sive iuxta aliquod charisma peculiare vitae religiosae. Tum vocatio ad ministerium sacrum saeculare tum vocatio ad ministerium sacrum in istituto religioso originem divinam habent.

Dum Codex expressis verbis quoad membra institutorum vitae consecratae de vocatione divina agit (c. 575 § 2), quoad ministerium sacrum nihil dicit. Tamen, ipsa natura ministerii sacri, quod per sacramentum ordinis confertur, vocatio divina est requisitum primum ac fundamentale ad ordines recipendos.

OT 2c expressis verbis agit de vocatione divina, cum dicat Divinam Providentiam hominibus ad Christi sacerdotium hierarchicum participandum *divinitus electis* congruas dotes tribuere eosque sua gratia adiuvere, dum legitimis Ecclesiae ministris committere ut idoneitate agnita, candidatos qui tantum munus recta intentione et plena libertate petierunt, *comprobatos vocet* et Sancti Spiritus sigillo Dei cultui et Ecclesiae

religiosi, in stretta obbedienza pastorale a colui che è il segno apostolico di unità in una Chiesa particolare» (cf. *Notitiae* 26, 1990, 66).

Animadvertendum est in textu citato tantum sacerdotes considerari et non diaconos, dum promissio fit in ordinatione diaconali.

servitio consacrent⁴⁶. Haec doctrina conciliaris componit elementa quae iam continebantur in variis documentis recentiorum Summorum Pontificum⁴⁷, et

⁴⁶ PO 11a, ubi agit de cura pro vocationibus sacerdotalibus, affirmat iuvenes paratos esse debere generose Domino vocanti respondere, cuius tamen vox nequaquam ita exspectanda est, ac si modo quodam extraordinario ad aures perveniat, quia potius ex signis intelligenda et diiudicanda est, quibus cotidie voluntas Dei innotescit, ita ut, eorum plena libertate externa et interna servata, Episcopus eos vocare possit.

⁴⁷ Initio nostri saeculi magna fuit discussio de vocatione divina, quia alii sententiam tenebant quod vocatio sacerdotalis est invitatio interna Dei, mystice a subiecto vocato intellectam, ita ut illicite ordinatur qui talem invitationem internam non percipit (cf. L. BRANCHERAU, *La vocation sacerdotale*, Paris/Lyon 1896), alii tenebant vocationem sacerdotalem non consistere, saltem necessario et de lege ordinaria, in interna quadam adspiratione subiecti seu invitamentis Spiritus Sancti, sed in vocatione Episcopi, qui Ecclesiam repraesentat, per quam Deus vocat, ita ut nemo habeat umquam ius ullum ad ordinationem antecederet ad liberam electionem Episcopi (cf. J. LAHITTON, *La vocation sacerdotale, traité théorique et pratique à l'usage des séminaires et des recteurs de prêtres*, Paris 1909). Commissio specialis cardinalium a Pro X anno 1912 instituta ad rem definiendam suam faciebat sententiam alteram et eam Summus Pontifex approbabat (Ep. Card. Secretarii Status, die 2 iulii 1912, in *AAS* 4, 1912, 485).

Progressus magnus iam habetur cum Pro XII, qui in sua Const.ap. *Sedes Sapientiae* affirmat: «Et primo quidem totius vitae sive religiosae, sive sacerdotalis et apostolicae fundamentum, quod *divina vocatio* appellatur, duplici veluti essentiali elemento constitui neminem ignorare volumus, divino scilicet altero, altero autem ecclesiastico. Ad primum vero quod attinet, Dei vocatio ad statum sive religiosum sive sacerdotalem ineundum tam necessaria dicenda est, ut si deficiat, ipsum fundamentum, quo totum nitatur aedificium, deficere debeat.

[...] Divina enim ad religiosum et clericalem statum vocatio, utpote qua quis in Ecclesia, societate scilicet visibili et hierarchica, ad vitam sanctificationis publice ducendam et ad ministerium hierarchicum exercendum destinatur, a moderatoribus quoque

clare distinguit inter electionem divinam, quae est elementum primum ac fundamentale, et vocatio candidatorum probatorum ab Episcopo, quae, in primo elemento nisa, nihil aliud est quam admissio ad ordines sacros. Deus est causa efficiens vocationis ad ministerium sacrum, admissio seu vocatio Episcopi est condicio sine qua electus ordinem sacrum recipere nequit⁴⁸. Membra institutorum religiosorum clerica-

hierarchicis, quibus Ecclesiae regimen divinitus commissum est, ex auctoritate comprobari, admitti atque regi debet.

Quod quidem omnes attendant oportet, quotquot huius generis vocationibus colligendis et probandis incumbunt. Neminem proinde umquam quovis modo ad statum sacerdotalem vel religiosum cogant, neve ullum alliciant vel admittant, qui vera divinae vocationis signa reapse non praebeat; item ad ministerium clericale neminem promoveant, qui se religiosam solummodo vocationem divinitus recepisse demonstret; neve eos qui hoc quoque donum a Deo habuerint, ad saecularem clerum coartent aut distrahant; neminem tandem a sacerdotali statu avertant, qui divinitus ad illum vocari certis signis dignoscatur». (cf. AAS 48, 1956, 357-358).

Animadvertendum est Pium XII quoad essentiam non distinguere inter vocationem ad statum religiosum et vocationem ad statum sacerdotalem: vocationi ad unum alterumque statum duo elementa esse essentialia, sed vocationem Dei esse elementum primum ac fundamentale, dum interventionem moderatorum Ecclesiae considerari potius condicionem sine qua vocatus ad unum alterumque statum admitti non potest.

Vide etiam Pium XI, Lit. enc. *Ad catholici sacerdotii*, die 20 dec. 1935 (AAS 28, 1936, 44-45); Pium XII, Adh. ap. *Menti nostrae*, die 13 sept. 1950 (AAS 42, 1950, 681-687); Paulus VI, Ep. ap. *Summi Dei Verbum*, die 4 nov. 1963 (AAS 55, 1963, 986-989).

⁴⁸ Primus actor est Deus. Dicit enim S. THOMAS: «Illos quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit ut ad id ad quod eliguntur inveniantur idonei: secundum illud II Cor. 3: Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti» (cf. *Summa Theologiae* III, q. 27, a. 4 in corp.).

lium iuris pontificii a propriis superioribus maioribus, qui eorum institutionem curant, per litteras dimissorias ad ordines sacros admittuntur (c. 1019, § 1)⁴⁹. Quia Deus vocat, Praelatorum tantum, qui in Ecclesia a Deo praeponuntur ad ministerium pastorale, decernere est quinam sint apti ad ordines suscipiendos.

Post Concilium varia documenta hanc doctrinam confirmant⁵⁰, praesertim IOANNIS PAULI II Adh.ap. *Pastores dabo vobis*, die 25 mar. 1992⁵¹, ubi sublineatur presbyterum a Domino recipere vocationem in Ecclesia et per Ecclesiam, tamquam gratiam gratis datam (charisma) (n. 35)⁵². Prima et praeveniens est

⁴⁹ Hoc valet etiam pro membris societatum vitae apostolicae clericalium iuris pontificii (c. 1019 § 1) et praelaturarum personarum (c. 295 § 1).

⁵⁰ PAULUS VI in sua Lit. enc. *Sacerdotalis caelibatus*, die 24 iunii 1967, in n. 15, affirmat: [...] superna [...] ad sacerdotium invitatione nihil sane efficitur, nihil absolvitur, nisi is illam periclitatus fuerit et probaverit, penes quem ministerii populi christiani est onus et potestas» (cf. AAS 59, 1967, 663). Vide etiam IOANNEM PAULUM II, praesertim Ep. *Novo incipiente*, die 8 apr. 1979 (AAS 71, 1971, 399).

Textus magni momenti de vocatione divina ad ministerium sacrum invenitur in Ratione fundamentali institutionis sacerdotalis *Hodierni conatus*, die 19 mar. 1985 a Congr. pro institutione catholica data, ubi, in ampliori contextu vocationis christianae (nn. 5 et 6), in n. 7 dicitur: «Inter multiplices vocationes a Spiritu Sancto in Populo Dei incessanter excitatas peculiare momentum habet vocatio ad statum perfectionis et praesertim ad sacerdotium, qua homo christianus ad Christi Sacerdotium hierarchicum participandum *divinitus eligitur* [...]» (sublineatio nostra; cf. *Enchiridion Vaticanum* S1/949). Quoad essentiam textus non distinguit inter vocationem religiosam et vocationem ad sacerdotium.

⁵¹ Cf. AAS 84 (1992) 657-804.

⁵² «Vocatio ad presbyteratum semper eget humanis mediatoribus. Privilegiata mediatrix est Ecclesia: in ea et pro ea datur vocatio uniuscuiusque presbyteri: per eam talis vocatio venit. Ex hoc sequitur omnem presbyterum per Ecclesiam a Domino voca-

actio libera et gratuita Dei vocantis, tamen interior Spiritus vocatio necesse est agnoscatur ut authentica Episcopi vocatio (n. 65). Ordinis sacramento Deus coram Ecclesia candidatum vocat ad sacerdotium; vocatio Iesu plenam et supremam professionem invenit in sacramenti celebratione, ubi manifestatur et proclamatur per Ecclesiae vocem resonantem ex ore Episcopi, qui precatur et manus imponit (n. 70). Gravis responsabilitas Ecclesiae est cooperandi cum actione Dei vocantis in constituendis et servandis condicionibus in quibus bonum semen, a Deo sparsum, fructus copiosos ferat (n. 2). Vocationi Dei libere et humiliter vocatus respondere debet (n. 36), tamen Episcopi est idoneitatem candidatorum ad ministerium sacrum promovere et cognoscere (n. 66). Deus, igitur, est fons vocationis et Episcopus de ea decernere debet, quia vocatio est in Ecclesia et pro Ecclesia.

In conclusione, vocatio divina definiri potest tamquam actus quo Deus, pro suo beneplacito, aliquem eligit et destinat ad ministerium sacrum in Ecclesia exercendum, eique qualitates et gratias ad id necessarias elargitur, ab auctoritate ecclesiastica, quae ad ordines sacros admittit, probandas. Hoc valet tum pro saecularibus tum pro religiosis.

tionem accipere quasi donum gratiuosum, *gratiam gratis datam* (*charisma*). Accipere igitur oportet vocationem non imponendo proprias uniuscuiusque condiciones, sed in simplicitate cordis: humilitate et gratitudine accipendo etiam circumstantias vel condiciones quas ipsa ponit Ecclesia» (sublineatio in textu).

In versione italica eiusdem textus inveniuntur haec verba adiuncta: «È proprio del Vescovo o del superiore competente non solo sottoporre ad esame l'idoneità e la vocazione del candidato, ma anche riconoscerla. Un simile elemento ecclesiastico inerisce alla vocazione al ministero presbiterale come tale» (Libreria Editrice Vaticana 1992, 74).

Ex supra dictis clare patet ambiguam esse primam rationem, in explicatione in *Commentariis Notitiae* contentam, circa promissionem oboedientiae Episcopo dioecesano etiam a religiosis faciendam. Ratio lata videtur non congruere cum doctrina Vaticani II, in doctrina PII XII nisa, cumque doctrina postconciliari, sed potius cum doctrina PII X⁵³. Vocatio, enim, ad ministerium sacrum ligatur vocationi ab Episcopo, si agatur de saecularibus, vel vocationi a Superiore maiore competenti, si agatur de religiosis, in quantum Episcopus vel superior maior, qui ad ordines sacros admittunt, decernere debent de veritate vocationis divinae, quae manifestatur per qualitates et dotes electi. Hac ratione nemo ius habet ad ordines sacros.

Ratio promissionis oboedientiae Episcopo dioecesano, etiam pro religiosis in ordinatione diaconali, invenitur in eo quod ritus, quo diaconi in statum clericalem intrant, significare et manifestare debet obligationem oboedientiae, praeterquam erga eorum Superiorem, etiam erga Episcopum dioecesanum; quae obligatio ex ipso munere Episcopi dioecesani et ex ipsa natura hierarchica ordinis sacri fluit. Hoc adumbratur in altera ratione quae habetur in explicatione lata in *Commentariis Notitiae* (vide supra).

Episcopus est vicarius Christi in Ecclesia particulari ei concredita, atque in ea visibile principium et fundamentum unitatis fidei et caritatis (LG 27a; 23a). Ad hoc munus pastorale exercendum, Episcopo dioecesano in sua dioecesi omnis competit potestas ordinaria, propria et immediata (c. 381, § 1) in omnes fideles, non tantum laicos et clericos, sed etiam religiosos, quae tamen exercenda est ad normam iuris.

⁵³ Cf. notam n. 47.

Ministerium ecclesiasticum divinitus institutum diversis ordinibus exercetur ab Episcopis, presbyteris et diaconis (LG 28a). Ministerium sacrum hierarchice ordinatur, quia Episcopi plenitudinem sacramenti ordinis recipiunt (LG 21b); presbyteri, cum Episcopis uno sacerdotio ministeriali seu hierarchico coniuncti, pontificatum apicem non habent et in exercenda sua potestate, ut providi cooperatores et necessarios adiutores atque consilarii, ab eis, pendent (LG 28a; CD 15a; PO 7a)⁵⁴; diaconi, qui in gradu inferiori hierarchiae sistunt, non ad sacerdotium sed ad ministerium ordinantur, in communione cum Episcopo presbyterio inserviunt (LG 29a; CD 15a).

Relatio communionis hierarchicae quae vigere debet inter Episcopos et presbyteros, necnon inter Episcopum et diaconos, pendet ex participatione unius ministerii sacri in gradibus subordinatis.

Omnes sacerdotes, igitur, tum dioecesani tum religiosi, ratione unius sacerdotii Christi participatione et ministerii, Corpori Episcopali coaptantur et bono totius Ecclesiae pro sua vocatione et gratia inserviunt (LG 28b; CD 28a). Modo differenti, iuxta carisma proprium, bono totius Ecclesiae inserviunt sacerdotes dioecesani et sacerdotes religiosi.

Quoad presbyterium textus Concilii inter se concordēs non sunt. Iuxta CD 28a presbyterium constituunt tantum sacerdotes dioecesani. Ratio lata est quod sacerdotes dioecesani in animarum cura procuranda primas partes habent et, Ecclesiae particulari incardinati et addicti, eiusdem servitio plene sese devovent ad portionem populi Dei pascendam. AG 20c, e contra, affirmat tum presbyteros locales tum

⁵⁴ Cf. Congr. pro clericis, Lit.circ. *Presbyteri sacra*, die 11 apr. 1970, n. 1, in AAS 62 (1970) 459.

missionarios externos, qui plerumque sunt religiosi, unum presbyterium efformare. Visio rerum in AG 20c contenta videtur theologicè magis fundata. Etsi, enim, religiosi dioecesi non incardinentur, tamen, si ministerium sacrum in cura animarum vel aliquod officium in ea exercent, in presbyterio, procul dubio, partem habent⁵⁵. Hoc probatur eo quod membra consilii presbyteralis sunt (c. 498 § 1,2°).

Clare patet fontem obligationis oboedientiae diaconorum et presbyterorum (PO 15b), etiam religiosorum, esse naturam muneris episcopalis, naturam hierarchicam ministerii sacri et, quoad presbyteros, in uno presbyterio participationem. Haec obligatio oboedientiae Episcopo dioecesano etiam a religiosis nunc manifestatur et roboratur per promissionem in ordinatione diaconali⁵⁶.

⁵⁵ In sua Adh.ap. *Pastores dabo vobis*, in n. 74, IOANNES PAULUS II affirmat: «Unici presbyterii pars sunt, titulo diverso, etiam presbyteri religiosi qui in Ecclesia particulari habitant et operantur. Eorum praesentia omnes locupletat sacerdotes varique charismata, ex quibus vivunt, dum presbyteris adhortationi sunt ut crescant in cognitione ipsius sacerdotii, conferunt ad excitandam et prosequendam sacerdotum formationem permanentem. Vitae religiosae donum, in dioecesana compage si sincere aestimationi coniungitur et iusta observantia proprietatum cuiusvis Instituti et cuiuslibet spiritualis consuetudinis, testimonii christiani fines dilatat et multimodis prodest spiritualitati sacerdotali locupletandae, praesertim quod pertinet ad rectam necessitudinem atque mutuam efficacitatem inter valores Ecclesiae particularis et Ecclesiae universitatis Populi Dei. Ipsi religiosi attenti erunt praestando spirituali verae communionis ecclesialis, liberali participationi itineris dioecesis et Episcopi optionum, suum charisma libenter suppeditando aedificandis omnibus in caritate»; cf. etiam n. 17).

⁵⁶ Decretum *Ritus ordinationis*, in n. 6, sublineat unitatem inter omnes clericos qui in dioecesi ministerium sacrum exercent (cf. notam n. 41).

Agitur de oboedientia canonica, quae tantum patet quantum potestas praecipientis. Proinde ea omnia tantum respicit, quae obligatoria sunt vel ex iure communi vel ex lege particulari vel ex praecepto legitime ad finem ecclesiasticum proseguendum imposito⁵⁷. In Codice potestas Episcopi dioecesani erga religiosos limitatur et contentum oboedientiae ei praestandae determinatur.

Imprimis spectandum est c. 586, qui in § 1 singulis institutis, cuiusvis speciei, iustam autonomiam vitae, praesertim regiminis, agnoscit, qua gaudeant in Ecclesia propria disciplina atque integrum servare valeant suum patrimonium, suum nempe charisma, de quo in c. 578. Quia haec autonomia est ius nativum instituti, quod fluit ex ipsa origine charismatica instituti, ex natura charismatica-institutionali Ecclesiae ut communionis organice structuratae et ex natura potestatis superiorum religiosorum, idem canon in § 2 statuit eam ordinariorum locorum est servare ac tueri.

Praeterea, autonomia regiminis instituti, in ordine ad eius charismatis conservationem, referri nequit ad solam vitam internam instituti, sed, si agatur de instituto operibus apostolatus dedito, etiam per exercitium ministerii sacri, ad haec opera quoque referri debet; secus institutum finem suum secundum charisma proprium clericale non prosegueretur (c. 675 § 1). Ut vera agnitio et tuitio autonomiae regiminis instituti habeatur, coordinatio requiritur inter id quod iure communi imponitur et id quod iure proprio statuitur, quod alterum ius, per approbationem ab

⁵⁷ F.M. CAPPELLO, *Summa Iuris Canonici*, I, Romae 1961, 216.

auctoritate ecclesiastica, in totalitate ordinis iuridici canonici partem habet. Ambitus autonomiae instituti ab eius charismate particulari et collocazione in Ecclesia pendet, id est si est institutum iuris dioeceseani vel pontificii, exemptum vel non⁵⁸.

Autonomia «iusta» definitur tum relate ad tuitiorem patrimonii instituti tum relate ad ordinem ecclesialem. Quoad apostolatam instituti, etiam per exercitium ministerii sacri, autonomia regiminis regulatur imprimis c. 678.

Cum Episcopus dioeceseanus sponsor sit vitae spiritualis, liturgicae, catecheticae, pastoralis et caritativae dioeceseis (c. 392), religiosi subsunt potestati Episcopi dioeceseani, quem devoto obsequio ac reverentia prosequi tenentur, in iis quae curam animarum, exercitium publicum cultus divini et alia apostolatus opera respiciunt (c. 678 § 1). Attamen, in apostolatu externo exercendo religiosi propriis quoque Superioribus subsunt et disciplinae instituti fideles permanere debent: quam obligatio ipsi Episcopi, si casus ferat, urgere debent (c. 678 § 2). Haec est generalis duplex obligatio oboedientiae omnium religiosorum, tum laicorum tum clericorum, cuiusvis speciei instituti, quae ex natura hierarchica et simul charismatica Ecclesiae fluit.

Clericus religiosus in ordinatione diaconali promittit reverentiam et oboedientiam non tantum proprio legitimo Superiori sed etiam Episcopo dioeceseano. Haec promissio nihil adiungere potest contento obligationis iam statutae c. 678 § 1, quia normae

⁵⁸ Cf. articulum meum *Iusta autonomia et exemptio institutorum religiosorum: fundamenta et extensio*, in *Periodica* 78 (1989) 113-126.

liturgicae neque possunt contra Codicem esse neque eiusdem statuta extendere⁵⁹. Uti diximus, promissio in ordinatione diaconali manifestat obligationem quae pro clericis surgit etiam ex ipsa natura hierarchica ordinis sacri et c. 678 § 1 determinatur.

Duplex oboedientia tuetur duos valores ecclesiales fundamentales: a) fidelitatem religiosorum missioni operibusque instituti propriis (c. 677 § 1); b) unitatem actionis apostolicae in dioecesi, quae nititur in eo quod actio apostolica instituti religiosi nomine et mandato Ecclesiae exercetur, ideoque in eius communionem peragenda est (c. 675 § 1). Omnia opera et actiones apostolicae in dioecesi, sub moderamine Episcopi dioecesanum coordinanda sunt, salvis, tamen, indole et fine singulorum institutorum necnon legibus foundationis (c. 680). Quia frequentes tensiones et difficultates exurgere possunt in concreta tuitione horum duorum valorum, relationes inter Episcopos et instituta religiosa iure definiuntur⁶⁰.

Clare affirmandum est, exceptis casibus peculiaris gravitatis et urgentiae, taxative in Codice statutis (cc. 679; 682 § 2; 683 § 3), oboedientiam Episcopo dioecesano semper a religioso actuandam esse per proprios superiores.

Episcopus dioecesanus, ob promissionem oboedientiae ei in ordinatione a religioso factae, officium ecclesiasticum religioso in dioecesi conferre nequit, sine praesentatione vel saltem assensu legitimi Superioris (c. 682 § 1). Superior religiosus, monito Episcopo dioecesano, non requisito eiusdem consensu, ab

⁵⁹ Cf. F.J. EGAÑA, *art. cit.* 126.

⁶⁰ De hoc cf. articulum meum *Relazioni tra istituti religiosi e vescovi diocesani*, in *Informationes SCRIS* 14 (1988) 49-89.

officio in dioecesi collato sodalem instituti libere amovere potest (c. 682 § 2). Clericus religiosus, igitur, c. 274 § 2 non tenetur nisi intra terminos c. 682. Clerico religioso c. 274 § 2 et promissionem oboedientiae Episcopo dioecesano invocare non licet ne mandata legitima sui Superioris negligat; religiosus ageret contra oboedientiam suo Superiori debitam, voto religioso et promissione, in ordinatione diaconali facta, firmatam.

Episcopus dioecesanus opera singulis religiosis immediate committere nequit, quia conventio scripta iniri debet inter ipsum Episcopum et competentem instituti Superiorem (c. 681 § 2). Collatis consiliis cum Episcopo, Superioris est ad ea opera religiosos destinare. Opera dioecesana religiosis commissa Episcopi dioecesani auctoritati et directioni subsunt, firmo, tamen, iure Superiorum religiosorum ad normam c. 678 § 2 et § 3.

GIANFRANCO GHIRLANDA S.J.